A


B. 1.



CVMVLVS
BONORVM VRBIS RVRISQ.
IN QVO LONGE MAX. AC NECESS.
VRBEM RVRI ANTEPONENDAM ESSE
CONCLVDITVR.

QVID QVID IN CONTRARIVM SCRIPSERIT
Albertus Lollius, Blanchinus Veronensis, & alij.

AVTORE ANTONIO
SIMONIO FLORENTINO I.V.D.



medicea manu



stat salus.

VENETIIS,
Apud Guerræos fratres. M. D. CI.



CVMVLVS

BONORVM VRBES RVRISQ.

IN QVO LONGE MAX. AC NECESS.

VRBEM RVRI ANTECEDENDAM ESSE


CONCLVDITVR.

QVID QVID IN CONTRARIVM SCRIPSERIT

Albertus Lollius, Blanchinus Veronensis, & alij.

AVTORE ANTONIO

SIMONIO FLORENTINO I.V.D.





VENETIIS,


Apud Guerraeos fratres. M. D. CI.





SEREN. COSMO MEDICEO MAGNO HAETRVRIAE PRINCIPI.

ANTONIVS SIMONIVS FLORENTINVS I. V. D.





OGITANTI mihi quam nobiscum plęclare egerit Deus Optimus Maximus, qui hominum mentem primis illis temporibus pene duram, & agrestem diuino afflatu concitauerit, vt Vrbes conderent, vitamque nostram ad certam rationis legem, normam, & regulam dirigerent, ferenda nullo modo visa sunt, quæ multa nimis ingenio fisus Blanchinus vir quidem mihi summa familia

ritate coniunctus(vrbes fere contemnendo) de Ruris laudibus collegit. Nō, quod animi caussa Rus amænum, et suburbanum modico temporis spacio adeundum negem: sed, quod Ciuitatem præcipue ingenuis incolendam putem, in qua ingenij vires exercentur, disciplinæ discuntur; animi nostri doctrina & religione excoluntur: & omnia deniq; bona, vt vere homine digna, virtus, honestas, pietas inueniuntur. Itaque pauca ego aduersus ipsius opinionem in medium afferre constitui, quibus, luce clarius ipsius sententiam non recipiendam patefacio. Cum autem rationum mearum iudices prudentes, & sapientes viros semper & libenter mihi constituerim, has ego rationes amicorum precibus imprimendas non recusaui. Sed quoniam peruetus est consuetudo, quæ in dies apud viros probatos inualescit, vt qui studiosi bonarum artium suas lucubrationes in manus hominū emittere statuant, ij sibi Principem aliquem, & primarium virum eligant, vt præteritis annis mihi feliciter successit sub clypeo Illustrissimi, ac Reuerendissi

mi Caroli Antoni Putei Arcipiscopi Pisani e in quibusdam theorematibus in lucem productis, ac publico in gijmnasio Pisano disputatis, cui tamquam optimo tutori honestos labores dedicent, Tibi vni Optime Princeps has meas vigilijas existimaui consecrandas; Nam de vrbium dignitate verba facturus; cum ego á Deo Opt. Max. patriam sim sortitus eam Ciuitatem, quam omnium esse pulcherrimam nemo non libenter affirmet, candemq; bonis oĩbus: cohonestatã, & decoratam, Principẽ mihi illum esse deligendum ratio est me hortata, qui patriæ meę habenas moderatur; qui Florentissimo Imperio dominatur: qui virtute, & animi magnitudine à nemine superatur: qui ex illa familia ortus est, ex qua tamquam ex equo Troiano, vt est in prouerbio, ciues, et viri emanarunt præstantissimi, magni Heroes, summi Põtifices, maximi Duces, fæmineq; lętissimæ, quæ maxima Regna obtinuerunt, & prudentissimę gubernarunt. Video mihi late campum aperiri, in quo laudes cum vrbis, ciuiumq; meorum, tum familiæ Medic. excurrerem.


Verum hoc munus alio tempore mihi peragendum reseruo. Silentio tamen præterire non possum, quæ multa cōmoda: quas vtilitates, quas dignitates, quæ tandem emolumenta nostræ Reipub. Cosmus ille magnus Hætruriæ Dux attulerit (cuius nomine tibi imposito gaudemus) Is enim fatali quasi necessitate à Deo fuit electus, qui animos ardentes, cordaque iris cumulantia pacaret, & quasi animorum Medicus sanaret, ac ex dissensione, & odio, amorem & pietatem gigneret. Seq; vere Cosmum, idest ornamentum esse declararet, vrbem enim & Orbem sua virtute ornauit, & decorauit. Nunc floret Florentia: Nunc pace, & libertate fruitur: ex ciuium enim cætu habet nobilissimos, prudentissimos, ac maximos Duces, qui eam ab exterarum gentium libidine tueantur: Nunc animi verā obtinet tranquillitatem, & quietem: Habet enim Principem, & Ducem, qui die, nocteq; animi vigilantia Reip. commodis, vtilitati, ac dignitati fauet, & studet: Nunc unusquisque suam vicem experitur iucundam, lætam, felicem, & bea-

tam

tam: quis enim eſt diuitijs, vel auctoritate exultans, qui pauperes inique paruifacere, & contemnere audeat? quis tanta paupertate vexatus, qui potentiorum iniuriam formidet? Adeſt Pater tuus Hætruriæ Dux Maximus FERDINANDVS, cuius nomen (ſi græcam interpretationem recipere velimus) ferre quæ fieri poſſint, ſignificare videtur: quam ſignificationem ſi cognomento addas dicemus FERDINANDVM MEDICEVM omnia quæ mentis acie poſſint excogitari medicamenta Ciuitati attuliſſe. Cum igitur FLORENTIA mihi ſit Patria, quæ quidem vita ipſa bonis viris carior eſſe debet, cui meorum ſtudiorum fructus potius dicarem quam tibi habui neminem. Natura enim: Tuæ familiæ ſplendor: FERDINANDI Patris tui iuſtitia, & prudentia, qua tantum regit imperium: quæ iam in te lucet paterna ac auita uirtus: mea tandem pietas in Patriã, obſeruantiaq; & fides in Principes meos non patitur, mearum lucubrationum alium me tutorẽ ſperare, vel optare: quod, quamuis exul, & uagus tres iam annos in alienis errẽ

Ciui-

Ciuitatibus magno Patriæ desiderio, vbicumque tamen sim, me tibi, & Patri addictum, deditum & obstrictum, & lege, & voluntate in omnibus actionibus meis cũctis ego declarabo hominibus. Speroq; tandem tua, & Patris pietate, me tibi, & Patriæ aliquando restitutum iri; vt possim vna cum Patruo meo Dominico Simonio nunc Col lateralí tui Seren. Patris (cuius fidem Domi, & Militiæ iam diu perspicere, & cognoscere potuisti) quã profiteor animi propensam voluntatem Principibus meis re ipsa præstare, & declarare. Læto igitur animo (Serenissime Princeps) munusculum hoc accipias paruum illud quidem, sed magni animi, maximæq; fidei testimonium. Vale (Optime Princeps) meq; eorum numero & loco habeto; qui te uere diligant, & ament; & ex animo colant & obseruent.



VRBIS, RVRI PRAELATIO CONTRA MVLTORVM SENTENTIAM.

AVTORE ANTONIO FIMONIO FLORENTINO I.V.D.



REQVENTISSIME ab eruditis viris audiui, quale est telum, tale esse & scutum: quod quidem ad prudentiam pertinere non dubito: admonemur enim nõ plus in aliqua re operæ, studijq; collocare, nec minus quam ipsius grauitas, vel exiguitas postulet. Vt medendi artis periti facere consueuerunt, qui pro morbi magnitudine medicamenti modum metiuntur; & milites, qui non ingens telum fragili scuto, neque ingenti scuto fragile, imbecillumq; telum repellent. Hunc prudentię modum mihi con alijs in rebus semper, tum in hac præcipue diligenter seruandum duxi. Nunc igitur quoniam tantam verborum vim, tantum sententiarum pondus,

tot autoritatum, exemplorum, argumentorumq; tormenta contorquet Blanchinus, vt non animũ modo meum, sed ipsas etiam munitissimas Vrbes expugnare velle videatur. Ad ea propulsanda, mihi etiam firmiora, & multo plura sunt comparanda subsidia: In quo illud in primis te etiam, atq; etiam rogo, obtestorque (mi Blanchine) caue suspiceris, me id, vel obfirmati animi culpa, uel amicitiæ nostræ obliuione, vel aliam quamlibet ob caussam minus liberalem fecisse; quamquam de hoc alio loco dicam, & ita dicam, vt & amicitiæ legibus, & amori erga me tuo non vulgari, neq; communi satisfecisse videar. Sed quęso per benignitatem, humanitatemque naturę tuæ, suspende tantisper quodlibet iudicium, animoq; velut in æqua lance constituto, neutram in partem propendas, dum uniuersa perlegeris, nam ne que legis, & iura patiuntur incognita caussa ferri sententiam. Vnde autem orationis meæ exordiũ ducam potius; quam ex eo ipso, quo tu iacis, tamquam firmissimum tuæ disputationis fundamentum? Ocium dicebas, & solitudinem plurimi facienda, illud videlicet ocium, quod negotio non careret, eamq; solitudinem, quæ sola non esset:

hoc quidem verum esse quis ambigat? & ita verũ, vt luce meridiana sit clarius? Quod autem inde colligebas hominibus propterea Rus esse veniendum, quod ibi potissimum hoc ocio negocioso, hac solitudine non sola frui potuissent, probare nulla ratione possum: verissimum quippe mihi videtur illud, quod in prouerbium abijt: non loco homines effici, sed ab hominibus locum. Dicam planius: Ne putes omnes tunc minus esse ociosos, cum à rebus gerendis cessant, tunc minus solos, cum à cætibus, & celebritatibus absunt, & propterea laudandum esse Scipionem illum, qui primus fuit Aphricani cognomento decoratus, dum dicere solitus esset, se minus ociosum esse, cum erat ociosus, tum minus solum, cum erat solus: Nam cum forensibus, bellicisq; negotijs non premebatur; cum à salutantium turbis liber, & expeditus erat; cum à populi frequentia remotus, tum animum iucundissima rerum maximarum contemplatione pascebat, quo fiebat, vt negotijs uacuus, ociosus non esset, & in solitudine honestissimarum cogitationum comitatu circumseptus, solus esse non posset, atq; proinde ipsemet diceret, negotioso hoc ocio, frequenti hac solitu-

dine frui melius, quam Ruri non possum: Nam respondeo, nos non omnes esse Scipiones; sed alij cum non destinentur negotiis, turpi ocio, ac languore marcescunt, (quod nihil a te scio significari, cum turpissimum sit, & homine prorsus indignum) alii vero uel inanium rerum agitatione distracti, uel perturbationibus animi turbulentis agitati, etiamsi in solitudine uersentur, nunquam soli sunt putandi; cōtra uero, qui fluxarum rerum curis abscisis, animo ad præclara facinora conuerso, cupiditatumq; curis amotis mentem sedatam habeant, atque tranquillam, etiamsi dies, & noctes agitent semper, ociosi sunt putandi, & quamquam in frequentissimo uersentur populo, solitarii. Neque meum id commentum, figmentumue putes. Docet ille celeberrimus Pontifex, qui numquam satis, uel ob doctrinæ, & eloquentiæ excellentiam, uel ob uitæ sanctimoniam, plurimasq; virtutes laudabitur Gregorius Magnus, qui de iis disputans, qui studio quietis ducti in solos se, desertosq; locos abdunt, minime eos in solitudine morari affirmat, si uel longissime ab omni hominum separati comercio, quid in Vrbibus agatur, quæ noua sint animo secum reputent, atq; disquirant;

rant;quin illos,& esse,& habendos esse solitarios, qui in urbanis tumultibus constituti, nihil de iis laborantes, mente in una cælestium rerum contemplatione defixa, solitudinem in animo tueantur:quod cum ita sit,quid est cur ego isto negocioso ocio inter negociorum multitudinem frui non possim? quid est cur ego intra Vrbis menia inter perstrepentium turbarum cętus in solitudine esse non possim? Si possunt ociosi esse non ociosi, & longe ab humana consuetudine positi,nihilominus in Vrbe uersari,ipse sibi homo turba est,cum tumultuantium perturbationum turba concitatur: Ipse sibi solitudo, con aditu inutilibus curis occluso,solum animum in una nobilium rerum meditatione custodit. Et quoniam tuis in rationibus id pluribus in locis attingis, quippe cum maximus in eo pondus, momentumq; constituas; nolo omittere quod magnus ille multis nominibus Basilius ad Gregorium æque uirtutibus, atq; diuinarum, humanarumq; rerum peritia insignē scribens,eadem omnino de re memoriæ tradidit. Ego uero, inquit, quæ quidem facio in hac solitudine noctes, & dies scribere erubesco; Nam reliqui quidem in Vrbe occupationes tanquam sexcentorum

centorum malorum cauſſas, me autem ipſum relinquere nondum potui, ſed ſimilis iis ſum, qui propter nauigandi inexperientiam in mari nauſea afflictantur, qui magnitudine nauigii offendũtur tanquam multam iactationem præbentem, & inde in lembum, aut acatium traſeuntes, ubiq; nauſea afflictantur; tranſgreditur enim cũ eis moleſtia, & bilis; tale igitur, & noſtrum; Nam domeſticas perturbationes circumferentes, ubiq; cum ſimilibus tumultibus ſumus: itaq; nihil magnum hac ſolitudine lucrati ſumus. Ecce tibi duorum ſanctitate, & doctrina inſignium uirorum teſtimonia, qui neq; per uirtutẽ voluiſſe, neq; per eruditionem potuiſſe mentiri uidentur. At ruſticari honeſtiſſimum eſt, non nego; ſed honeſtius longe eſſe in Vrbibus uerſari, ne tu quidem negabis. Ruris amantiſſimi complures fuerunt, & maximi uiri, At Vrbium plurimi. Gyges Lydorum Rex rerum omnium abundantia circumfluebat, fertiliſſimum habebat Regnum, & maximum, magnas peditum copias, turmas equitum quampluri mas, ornatiſſimas claſſes, reditus, & uectigalia propemodum infinita, regias ædes, magnum famulorum numerũ, & ea omnia, quæ falſo a mor-

talibus appetuntur ut summum bonum; ita ut beatiorem se in humani generis societate crederet esse neminé, atq; ut hoc planius appareret Apollinem superbia, atque tumore elatus de hoc ipso consuleret, potius, ut sua opinio Oraculi confirmaretur testimonio, quam se vinci à quopiá posse beatitudine arbitraretur: Tunc ecce ibi ab Oraculo responsum, Aglaum Psophidium multo esse Gyge beatiorem. Erat Aglaus iam deuexę ætatis, in Arcadia rusticus, exigui soli dominus idem, & cultor, nunquam angustos eius fines egressus, uix hominem quemquam noscens. Et ex hoc infers tu ab Oraculi testimonio confirmatam reddi sententiam, priorem esse vitam, beatioremq; Vrbana rusticananam; neque uides eo tendere illa uerba Oraculi, ut per ea compræhenderet Gyges falso sibi assumpsisse nomen beati, cú esset Aglaus in suis finibus contentus, ác propterea beatior, neque altiora appeteret, ut Gyges. Sed hęc mitto, quoniam, ne tu quidem illud ais honestius Vrbe Rus esse; sed tantum honestum, quod sit summorum, virorum aliquádo pręsentia cohonestatum: ad illa festinat oratio mea, in quibus plus esse negocij uidetur, cum in ijs non conferas modo cú

Vrbe

Vrbe, sed illi longe anteponas. Dicebas multas afferri Rure opportunitates, uel ad corporis ualetudinem, & uirium firmitatem, uel ad multarũ rerum cognitionem, uel denique ad pietatem, & sanctimoniam uitæ. De robore primum, & uiribus nihil aliud dicam; quoniam hęc alios fortasse omnes potius, quam mei caussa promouent; nosti enim naturę imbecillitatem meæ, nosti uirium infirmitatem, neq; illud ignoras uires animi a sapientibus magni fieri, quibus beatis mentibus Deoque similes efficimur, & aliis prȩstamus hominibus, non eas corporis quibus superamur a bestiis, iumentisque, & laudem si quã merentur, eam non nobis, sed tribuendã esse naturæ; neq; ausim negare, si urbanum hominẽ urbaniter educatum, cibis enutritum delicatis, mollibus assuetum recũbere lectis, honesto uestitu indui, umbris à Sole, & parietibus defensum, cum præduro rustico, horrido, & hirsuto, herbis, pomis, uel pane furfureo famem frigida uel aceto sitim repellere solito nuda humo, & sub dio somnum capere, assidua, aut uomeris, aut ligonis tractatione corroborato, ipsius solis ardore exusto, longe esse postponendum. Si qui unquam Rus adiere, id fuit ad breuis

commo-

commorationem temporis, sedes quidam fixas in Vrbibus habuere; & in iis totam traduxerunt ætatem. Sed hæc mitto, & aliquid de ualetudine. Apertum credo Cęlum, ambulationes matutinas latissimos iuxta, atq; lætissimos agrorum prospectus, putas plurimum ad ualetudinem ualere: ita sane, sed non est apertum Cęlum in Vrbibus? quorum plerasq; editis in locis, ac summis montibus uidemus esse constructas? At officiunt ædificia: quis prohibet extra Portam exire? quis prohibet sub matutinum tempus deambulare? quis prohibet amplissimos campos ex ipsis Vrbibus spectare? In his tu te dilatabas, in his tua exultare, & triũphare uidebatur oratio, quoniam ad rem tuam faciebat: At illud cur silentio inuoluebas, multos ob nimium aeris haustum, ob nimiam corporis defatigationem, ob immoderatam pomorum comestionem, periculosissimos sępissime morbos contrahere: sed esto. An propterea minus uidit in consilio dando Appius ille, quod oculorum lumine careret? an à scribendis uersibus Horatium, lippitudo? an Plotinũ ex Platonis familia philosophorum celebrem, sacer morbus à rerum peruestigatione retardauit? an deniq; ab honestis, piisq; actio

nibus Beniamin? eum, quem ad annum octuogesimum, usq; desertis in locis uitã protraxisse accipimus; hidropisis reuocauit? quem morbum ita philosophus Eracletus cõtempsit, vt quemadmodum author est in eius uita Laertius, uti medicorũ opera nunquam uoluerit. Hæc eo attigi, quo intelligas, bonam corporis ualetudinem amandam esse, si adsit, & conseruandã; sin minus adsit, cum uera bona nihil impediat, non esse tantopere cum eorum periculo requirendã. quamobrem minus illud, si recte inspicias, ualetudinis argumentum firmamenti habere debebit, ipso fundamẽto sublato. Sed quid ago? quasi uero murorum ambitu exclusa ualetudo in agris modo uersetur, & syluis. est etiam, est intra mæniorum septa salus. Nõ horret omnino hominum conuentus Esculapius; habuit ipse etiam in Vrbibus templa, cum alibi multa, tum Romæ præsertim in Insula Tiberina; ꝙ templum Romæ quam libenter incoleret, aperte indicauit, cũ inde usq; ab Vrbe Peloponesi Epidauro, ubi præcipuis celebrabatur honoribus, & quæ sua ipsius patria putabatur, uenire non recusauit. Nec solum Esculapius, uerum eius pater Apollo templis gaudet frequentibus in locis, & nobilibus

extructis. Testantur hoc, cum innumerabilia alia loca, tum maxime unde ipse cognomentum traxit, Delphos. Et ubi modum semper æqualem, & præscriptum certis legibus uitæ rationem facilius seruare possis? nam illud mitto, etiam salubrius esse Cælum in freqnentibus, cultisq; locis, quam in desertis, & solis. quid est simplex? quid apertum? quid certum, & uerum? quid non à libidine, & petulantia turpiter inquinatum? atq; hæc uitia non tam ex animis hominum, quam ex ipsa uitæ ratione proficiscuntur. Nam, cum molis per se sit, cum tota sit desidiæ, inertiæ, atq; languori dedita, inde in cæteravitia facillime prolabitur; cum desidia, & vitium ipsa sit, & uitiorum omnium cum parens, tum nutrix. Sed plura fortasse, quam res, & perspicua, & non ita magni ponderis exigebat? Iam ad grauiora. In montibus apud amnes, apud fontes Musȩ: at Apollo Delphi, at Pallas Athenis, at Mercurius in Vrbibus: Sed mittamus fabulas, relinquamus etiã antiquos, circumspice nostrum seculum: hodie iuuenes, & dicendi cupidi ab Vrbibus in syluas, & agros amandantur, an ab agris, pagisq; in celeberrimas quasq; Vrbes mittuntur? cur tam nobilis Parisiorum Lutetia, tam celebris Bononia, tã

 inclitum

inclitum Patauium, si studia Ruri uigent? credo equidem, belluæ, iumenta, armenta, auiculæ uel docent, uel discunt. Si nodus inter legendum, si ambiguitas inter speculandum occurrat, consules opinor uillicum: si de rebus præclaris miscere sermonem uelis, conuenies inquilinos, aut subulcos: Negabis? at id genus hominum est Ruri. Vbi Oratores uerborum copia, & elegantia sententiarum pondere, & grauitate admirandi? in Vrbe; ubi Poetæ mira carminum suauitate iucundissimi? in Vrbe; ubi philosophi, siue ij, qui in rebus natura peruestigandis tori uersantur, siue ij, qui ad leges perquirendas se conferunt, & de uirtutibus, & vitijs disputant? in Vrbe; ubi sacri Theologi, qui res omnes animo, & cogitatione superexcellentes, ipsásq; Lunam, & Solem, & reliqua omnia transmittentes, ad ipsius summi boni indagationē, & diuinæ naturæ, beatarúmq; mentium dulcissimam iuxta ac nobilissimam considerationē se se conuertunt? in Vrbe; ubi denique omnium bonarum artium magistri? in Vrbe: quid ergo Ruri? rusticitas, ut in Vrbe urbanitas. Ruri, idest inter belluas immanitas: in Vrbe inter homines humanitas. In Vrbe gymnasia optime instructa, eruditæ concertatio-

nes,

nes, libri omnium generum quamplurimi, instructissimæ bibliotecæ. Ruri uomeres, aratra, rastra, ligones, & omnium additamentum bonorum bestiæ, vt uerum sit antiquorum prouerbium quod a Simonide sumptum, refert Plutarchus.

Vrbs hominem docet. Pater eloquentiæ multa monuméta edidit Ruri; nimirum cum esse in Vrbe non posset, cum expelleretur, cum ut ipse ait, Senatus esset pene sublatus, iudicia extincta, ex quo ipso quanti Vrbem faceret intelligere debemus, eum ad ipsius desiderium leniendum appulisse animum ad scribendi officium, ipse fateatur. Russum quidem idem ipse hortatur, ut Vrbē quãto fieri possit, colat. Epicurus in hortis docebat: at vbi doceat uoluptarius philosophus? ubi de umbrarum amęnitate nisi sub umbra? de uario olerũ sapore, nisi inter olera? de delitijs, nisi delitiosis in locis disputet? Audi quę essent Epicuri dogmata, quæ à Satyrico Poeta per irrisionem recensentur; ut iam mireris non ea in culina potius docuisse.

Longa quibus facies ouis erit illa memento,
Vt succi melioris, & ut magis alba rotundis
Ponere: namq; marē cohibent callosa uitellum
Gaule sub Vrbano, qui siccis creuit in agris

Dulcior:

Dulcior: irriguo nihil est elucius horto.
Si uespertinus subito te opresserit hospes,
Ne gallina malum responset dura palato
Doctus eris uiuam misto uersare falerno,
Hoc tenerã faciet; prætensibus optima fungis
Natura est, alijs male creditur; ille salubres
Aestates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante grauem quæ legerit arbore solem.

Hæc, & id generis alia, num sub Porticu Stoicorũ, num ĩ gymnasijs in Lyceo, aut Academia tractẽ? utinam eius essemus naturæ, ut ab inspectione rerum omnium ad cęlestium contemplationem rãperemur. Vtinam uteremur nos creaturis ad eum finem, p quem nobis datæ fuerunt, & earum opera cognosceremus, ut decens est, totius uniuersi Compilatorem. Sed heu quot sunt, qui hanc potius momentaneam uitam, quã cælestem, ac æternam optant, diligantq;. Quis liber, & a negotiis expeditus, turpi ocio se totum non tradit? quis est, qui ab umbris effæminatus, a uoluptatibus enerpatus, & sub falsæ quietis ab exercitiis ciuilibus deuiatus in putidam non incurrat ignauiam? sexcenta sunt ad flagitia incitamenta: ad honestatẽ, ad uirtutem, uel nulla, uel uix ulla. Haud sine ma-

maxima caußa ingeniorißimus Poeta ille, admonebat nos, ut fugeremus solitudinem: optime.n. noscebat ipse, nullum scelus esse tam graue, quod homo infelix, naturæq; corruptio, cũ hac solitudine euitare posset. Et natura nostra infirma, & caduca sẽper in deteriora procliuis, nisi plurimo fulciatur adminiculo serpit humi, & nisi diligẽti opera excolatur, syluescit. Neq; aliter quam equo, nisi sit, qui regat, & frenis eum modo coerceat, modo calcaribus stimulet, aut non progreditur, aut præceps in omnia vicia ruit. In Vrbibus sexcenti sunt, qui pijs colloquijs, & viam ad virtutẽ monstrent rectam, & facilem, & obliquos inuant anfractuo, præcipitesq; in vitiorum rupes. In Vrbibus qui consolari mærentem, subleuare iacentem, cohercere insolentem, tardantem concitare, incitatũ moderari, corregere abiectum, tumentem frangere, elatum deprimere poßint. Tũ in solitudine cõtra, quoniam ob deprauati humani ingenij vitiũ, quæ nostro in tergo est, manticam non uidemus, atq; ex hoc aliena vitia nõ videas, vel si videas dissimules; ex quo fit, ut uel ea corrigere nõ poßis, uel nolis. Quid iam ennumerem tantam eximiorum concionatorum copiam, qui incenso, & inflam-

mato dicendi generi animos in omnes partes flectunt, ac figunt? & qua lachrymis immanibns ferisq; uel inuitis excutiunt? qua molibus, & effæminatis robur in animo cignunt ad uirtutum exercitamenta, & contra omnia uitiorum incitamenta firmissimum? qua pænarũ infernalium timore, à peccatis liberare student, qua concitant ad uirtutem, spe rerum cælestium? quid tot Ecclesiæ optime distinctæ, ac ornatæ? quid sacra modulamenta, quæ & nutriunt animum, & auribus satisfaciũt? quid diuinissima illa sacrificia, de quibus unum tantis per omnibus Ruris commoditatibus præferendum esse censeo; addo tot exempla in quibus magna uis est. Ruri.n. licet forsan nullus sit, qui animum ullo modo ellicere possit; At nec ibi sunt, qui æquitati, simplicitati, patientiæ, ac constantiæ exemplum dare possint: Neque eos timere debemus, qui te nolente, nullum tibi damnum afferre possint. Abstineas te à malorum societate, fugias improbos, & bonus eris; foueam euites, neq; in eã incides; laquea prorumpas, neque illaqueaberis. Nullum opus conficeremus egregium, si pericula nos terrerent; mercator non nauigaret, neque seminaret rusticus, si ille naufragium facere, iste nihil

colligere timeret. Si pudicitiam, Ruri seruauit. Nypolitus, Ruri amisit Anchises. Vbi Satyri, nisi in syluis? Rure Paris Helenam rapiendam deductus est. In agris famam cum pudore reliquit Dido: neque illud caret consilio, quod maximus orator dũ adulterium suo inimico, & hosti Patriæ obijceret, amæna in quibus cõmissum fuerat, loca descripsit. An est, qui seccessũm illud Tiberij, & Capreæ uillam ignoret? piget pudetq; referre quibus brobrijs populi Romani Imperator totius terrarum orbis Princeps in senectute seccessum illum contaminauit. Adde, quod non animo solum, sed corpori, & secreta loce perniciem attulere, nõ modo haustu aeris immodico, ut supra attigi, uerum ferro etiam, & externo impetu. quis apud Curtiũ non legit inter amænissima illa nemora Medorũ Regum manu consita, Parmenionem Macedonũ Ducum, facile Principem iussu Alexandri sublatũ fuisse? In flexu illo Caietanij litoris, quo nullus pulchrior, nullus amænior toto Orbe terrarum est locus temulenti Sicarij, & Parricidæ imperio, Romanæ, & Vrbis, & eloquentiæ Pater extinctus est. Lege secũdam, et quimquagesimam Senecę epistolã lib. 7. ubi præcæteris hæc ait. effæminat animos

amænitas, amæna sine dubio, aliquid ad corrumpendum uigorem potest regio. quid tum? etiam ne plures, & liquidiores dices in Vrbe uoluptates non esse, quam Ruri? & præcipue cum Ver è gelidos, soluit tepores, cum Cæli furor æquinoctialis iucũdi Zephiri scilescit auris. Si hæc uera sunt, quid me arguis, cur in Vrbe herere uelim? Simulq; petis quid sit, quod amando mihi in Vrbe tantopere videatur? Præterea per uincula amicitiæ nostræ, quę iuxta petentibus amicis numquam negant me cogis, ut ego Rus veniam, atq; attentius animaduerterem cuiusmodi sit postulatio tua, quod si minus dignam esse statuero, tum uero te etiam mea indignum familiaritate esse constituam: sin autem, & honestatis plurimum, & vtilitatis tantundem, & iucunditatis nihilominus habere prospexero, nihil tibi rescribam, attamen ipse ueniam. quibus rationibus consideratis, credidi profecto hic laborẽ esse, hic opus. Tu.n. tam multis, & tam disertus es in rusticanis voluptatibus extollendis, deprimẽdis Vrbanis, ut magnam tibi Rus gratiam habere debeat, quod talem inuenerit laudum præconem suarum, & illi te possit Vrbs inuidere, ut Achilli Homerum inuidisse magnus ille Macedo fertur.

Sed

Sed primum ne quem fallat nominis ambiguitas, quoties uoluptatem dicemus, ut de multis Epicu reæ familie memoriæ proditum est, qui nudo uer bi sono contenti, nihil distinguentes ea specie in omnes se turpitudines effundebant: breui circum scribendi sunt quidam termini, intra quos huius uocis ocio ita contineatur, ut extraeuagari nō pos sit. Cumtriplex igitur mea quidē sententia sitvolu ptas, turpis, & bestiarum propria, quæ in rebus fœ dis, & obscenis est sita, bona, honesta, & liberalis, optimi cuiusq; maxime propria, quæ a rerum ma ximarum uel contemplatione, uelactione proma nat, & media quædam, quæ cum possit esse tum bona, tum mala, perinde est, ut illius animus, qui ea fruitur: qui uti scit ei bona, illi, qui non utitur recte mala. De duobus postremo generibus no bis est quæstio, prima illa omnino reiecta, quippe cum imitatrix bonorū sit, Parens, Nutrix, & esca malorum omnium, & maxima queq; è suo statu mentem maxime dimoueat; neq; profecto ambi guum est inter hęc duo genera priorem illum te nere locum, quod à rebus bonis originem ducens in animo sedem, ac domicilium habet, qua uolup tate qui fruitur (crede mihi) non requirit inter ui-

ridem riparum uestitum dulcisono per lucidum riuum trepidante susurro, non prata uarijs florũ depicta generibus, non umbras, non auicularum concentus, non alia deniq; quę extrinseca sint; sed totus est aptus, & se se in animo suo omnia enumerat, eoq; suauiora, quo à nobiliori proficiscuntur origine, & prestantiori in parte consistit. De his loquitur Plutarcus cum in commentariolo an senibus Respublica sit gerenda sic disputat. Sed Reipub. administratio pulcherrimas habet, maximasque uoluptates, quibus aut solis, aut præcipuis frui Deos probabile est: illæ autem sunt, quę à bonis actionibus, honestisque factis oriuntur. Quippe si victor nobilis Niceas tantum artis suæ lætabatur operibus, ut uelut sui oblitus ex famulis sitaretur subinde an esset usus Balneo, itemq; an esset pransus? Si Archimedem tabulæ, ac geometricis intentum figuris ui abductum, ac uestibus exutum perungebant serui, & ipse in obuncto uentre schemata delineabat? Si Canus Tibicem nescire se dictitabat, quantum se ipsum magis, quam alios delectaret canens, cum, & mercedis loco duceret q audiendi patientiam præstarent? An non aduertimus quam uberes, quamq; non vulgares sibi ex

uir-

uirtute, ac placclaris actionibus uoluptates compa
rent præstantes uiri? Interrogatus Epaminondas
quidnam sibi iucundum maxime accidisset in ui-
ta respondit quod, parente utroq; superstite, Leu-
tricam uictoriam retulisset. Et idem Plutarcus lib.
quo probat, ne ex Epicuri quidem præceptis viui
suauiter posse, multas ennumerat singulares ani-
mi uoluptates, quę uel ab indagatione ueritatis
pendent, uel à discendi cupiditate, uel ab oneribus
publicis, uel à præclaris facinoribus de quibus cũ
breuiter, ac precipuę disputasset, in eam iuit sen-
tentiam, ut talia hos uiros sic appetant, ut, nec si
ipsi uelint ea euitate possint. Quid si philosophi
excellentissimi bonorum omnium culmen in so-
le uirtute posuerunt? eamque qui possideret, fir-
miter tenuerunt, quauis alia re non indigere ad
bene, beateque uiuendum? quod si maximis re-
fertum laboribus, innumerabilibusque periculis
obnoxiam Vrbem esse obijcias, ob ipsam Ruri
longe præponendam esse cõtendo, cum sciam res
præclaras annexam habere permistamq; dificul-
tatem: quę enim preterea fuit caussa ueteribus
illis, cur uirtutem in editissimo monte collocaret,
nisi, ut eam magnis dificultatibus circumseptam,

& circumuallatam esse indicarent? At quot in Vrbe continuo sunt exercendæ uirtutes? an est ubi magis uel fortitudo in periculis audacter adeundis, uel superandis constanter; prudentia in consilijs capiundis, in locis superioribus occupandis, in cauendis hostium insidijs, continentia & moderatio in re bene gesta, in aduersa fortuna est ubi magis patientia, atque constantia eluceat? His igitur sic positis, non talis ego sum, non stultus, aut qui nimium ab amore proprio capiar, ut clari uiri mihi nomen assumere uelim. Sunt Corui albi illi, qui sic à se dependeant, ut exteriori quolibet posthabito auxilio ad beatam uitam ducendam id totum sibi ipsis arrogent. Fænicibus sunt rariores, qui in supremo uirtutum culmine ita persistant, ut oculos aliquando ad hæc humiliora non inclinēt: quod quidem, ni fallor, Ruris peculium appellas. Circa hoc, cum multa mihi occurrant, nolo omittere quædā quæ cum ad meam, tum ad tui intelligentiam in hac re prodesse poterunt. Sapiens dum uiuit, non tantum honestæ uitam agit, sed cum summa etiā approbatione omnium, & plausu uiuit, etiam satis gloriæ, satis sapientiæ, satis sibi; non tamen nobis, non humanæ societati satis cum moritur. Et hæc

est inter sapientum uirorum stultorumque interitum preceteris dissimilitudo: His numquam non matura mors, illis numquam matura contingit: nam quod Publianus de auaris ait. Auarus nisi cũ moritur nihil recte facit, & idem opinor licere nobis de stultis omnibus, & prauis asseuerare. Cum. n. quamdiu uiuunt, numquam animum ad honesta traducant, numquam mentem ad egregia facinora conuertant; cumque neque suam neque alienam vtilitatem, dignitatemue procurent, uidentur illud unum recte facere, cum moriuntur, quod stultorum numerum imminuunt, multosque quibus si diutius uitam protraxissent, detrimentum attulissent, tutos sua morte, securosq; reddunt. Contra uero sapiens, quoniam ex eo apta est multorum utilitas, non potest sine multorum detrimento discedere: ita fit, ut stulti uita breuissima sit, longissima sapientis: Hic quod pluribus prodesse queat, ille paucioribus obesse. quamquam in hoc ipse me corrigo; numquam. n. non longissima est sapientis uita, numquam stulti non breuissima. ille. n. breue hoc, & exiguum quodcumque natura concessit spacium uitæ, præclaris facinoribus extendit, hic uniuersum tempus ætatis, cum uel in

conuiuijs, uel inerti sopore, uel ludis, uel desidia, & languore consumat, in uiuis numerari uix potest, cum res numquam dignas aggrediatur. Præclare sapiens ille; de uita alicuius iudicat extremus dies. nam summa de mortuis commendatio est, bonorum dolor, & eiusdem accusatio manifesta, bonorum lætitia. Hæc quo spectent quid sibi uelint, qui habet aures intelligendi intelligat. Ad nostram igitur redeundo concertationem, non nego multa esse Ruri delectabilia, multa, quæ, & oculos, & aures delectent. sunt quidem, quia, & nos de his cognitionem habemus, uerum dico uaria esse hominum desideria, suam quemque propriam habere uoluntatem. Castores delectabatur equis, & pugnis, qui ex eodem natus est ouo. Quot homines, tot sententiæ, qua sola ratione omnes Ruris delitiæ corruere debent: At hoc pertinacia potius quam ratione esset disputare, in qua controuersia, quando quod proponitur in se non est indignum, honestius est uinci, quam uincere. Quamobrē animo ad nobiliora argumenta elato, ea in primis tollenda censeo, quæ contra me sic iacis, ut nisi maxima cum dificultate ea eneruari posse uideantur. Dicebas conformius esse ad principia humani generis

neris in agris uitam egere, qnam in Vrbibus: illis enim temporibus ædificia non erant. Hic igitur, quia res est maximi momenti, liceat mihi, loqui tecum subtiliotibus rationibus quam adhuc fecerim. Communis est pbilosophorum omnium sententia, ac res de per se patet, naturam operantem à rebus fragilioribus principium capere, & paulatim ad perfectionem perducere, quod tum præcipue in homine clarum est, quolibetque animali, tum in communi toto humanarum rerum genere: Nam quis ignorat maxima illud in rebus ab humanitate ad iustitiam, prudentiam, animum deniq; pertinentibus incrementa accepisse. Animã tia quidem rationis expertia subito in suo queque genere perfecta edidit: nam pilis alia, alia corijs, alia plumis uestiuit, & cornibus, alia spinis contra alienas muniuit iniurias: eadem uim dedit ad cibos capescendos, ad noxia euitanda, completenda salubria. Hominem autem, cum his omnibus destitutum præsidijs, infirmum, & nudum protulisset in lucem, ratione diuino illo, & singulari munere insigniuit, quo sibi per se se, & adiumenta vitę, & ornamenta compararet. Hinc quippe ingeniosissime Poetæ finxerunt seculum illud aureum a Io-

ue ſublatum, ut uarias uſus meditando extunderet artes. Ergo cum à principio in quodam humanũ genus eſſet infantia, non mirum eſt in agris, ſyluiſque agreſtem uitam ſylueſtremq; duxiſſe. Sed rogo te, quæ erat illa tum uita? non ne prorſus infantia? cum in agris homines paſſim beſtiarum more uagabantur, & ſibi ritu ferino uitam propagabant: nondum diuinæ religionis, nondum humani officij ratio colebatur, ſed cæca, ac temeraria dominatrix animi cupiditas ad ſe explendam uiribus corporis abutebatur, perniticioſiſſimis ſatellitibus. Cũ uero adoleuit, & ad quandam rationis quaſi maturitatem peruenit, tum uniuerſum genus hominum fecit, quod nunc ſingulis uſa uenit, qui cum primum ſapere incipiunt, quæ paulo ante, ut præclariſſima ſummo ſtudio amplectebantur ita contemnunt, ut non exiguam capiant ex eorum reccordatione modeſtiam: extiterunt enim magni quidam, & ſapientes uiri, qui cum cognouiſſent, quanta in animis hominum ad res maximas opurtunitas inneſſet, ſi quis eam poſſet ellicere, & præcipiendo meliorem reddere diſperſos in agris homines, & in tectis ſylueſtribus abditos ratione quadam compulerunt unum in locum, & congrega-

runt: quem locum, cum domicilij compleuissent, uijs commode distinctum, mænijsq; septum Vrbem dixerunt. Tum etiam cętus hominum certis legibus inter se admitti societate coniunctos constituerunt, qui deinde sunt Ciuitatis nomine appellati. Huius autem ęgregij, planeq; diuini authoris inuenti tot, tantisq; laudibus celebrantur, ut eos sibi Poetæ uendicent quod & Amphionis, & Orphei, & aliarum fabularum quasi in tegrumentis inuolutum contineri uolunt. Oratores ex altera parte repetunt sibi: exaltera philosophi accerrime ex suis fuisse contendunt. quamobrem neq; te, nec quemquam tam puto uecordem futurum, quin iure optimo summis ad Cælum laudibus eosdem efferendos esse fateatur, quamquam tu eá ipsa re, quá illi construxerunt Vrbes uelle destruere uidearis, & homines ab agris ui orationis pertractos in Vrbes, ab Vrbibus ui orationis reuocare in cápos, & syluas: quod si laudandi sunt authores certe & quod actum est erit laudabile. Hæc, si luce clariora sunt, quæro ex te num repuerascere cupias, & pedibus, manibus humi deambulare, uel puerorum more saltare, cursare, clamare, flere, irasci, contendere, equitare in arundine longa; ludere

par impar, & alia eiusdem generis quamplurima? quod si negabis, tum ego te rogabo, ut mihi amplium negocium non facessas, cum Rus incolere nihil aliud sit, quam ad naturæ nostræ infirma reuerti principia, & quodamodo repuerascere. Prudentiæ enim pars ea mihi uidetur, quę non ita quidem res omnes ad normam, & trutinam expēdat, sed liberior sit aliquanto, non tamen rudis. Et hāc esse illam opinior, quæ ab acutissimo Poeta in rebus, quæ faciunt uitam beatiorem enumerantur. Vitam quæ faciunt, inquit ille, beatiorem iucundissime Martialis hæc sunt: Res non parta labore, sed relicta, non ingratus ager, focus perennis, prudens simplicitas. Hęc cum ita se habeant, cum uera simplicitas prudentiæ pars sit, ea non ab inconsiderantia oriri potest, sed a uehementi quodam amore, & aperta cognitione rei; ita ut explorata iam, & certa nobis sit eius animus, atq; uoluntas. Sed iam quæ laudis in Vrbe sunt breuiter perstringenda, ea primum omnia quæ tu Ruri: Nam quotiescumq; me in forum Olitorium confero, non instructissimos hortos, non uiridantes agros, non amæna prata desidero: quotiescumque in forum boarium, non innumerabiles pecudum greges

requiro, non moltitudinem armentorum. Si fructus uenit post uaria cignum amni tempora, hic omnia quæq; & uaria, & plurima promptissima habeo, ut non sint singula, neq; a uarijs agris, neq; arboribus emendicanda. Nihil est enim Ruri plæclarum, quod in Vrbem tanquam uectigal, quo eam Dominam Rus agnoscit nō conferatur. Quę præterea tu cum altius euolaueris, ut humilia despicis, atque conculcas, ea mihi, qui adhuc homo sum, & humana non contemno uehementer arrident. Me etiam totius Vrbis conspectus, tanta ędificiorum multitudo, excelsiora alia, alia humiliora, turres, templa summopere recreant, mirum etiam in modum ædificijs delector, uel frontispicium consideres, uel positum, loci uel commoditatem, uel icnographiam, uetustatem, magnitudinem, artificium: Equidem fateor, dum atria cōspicio optime ordinata, oblongas regias, simulacra, ac imagines cum pictas, tum scultas, aulæa, perystomata, argentum, & aurum afabre factum, & infinita similia, non modicam mihi afferunt uoluptatem! Dices forsam hæc puerorum esse oblectamenta; At ne hominum quidem indigna apellari possunt, qui homines in his rebus aspiciē-
dis

dis,non solum exteriora uident, uerum etiam robur, ac ingenij maiestatem penetrant. Sed nihil ex his in Ciuitate esse arbitreris; credasque etiam nullam esse in theatris relaxationem, nullam in plateis,publicisq; uiis,in laqueareis nullam, nullã que in cæteris nominatam ornamentis voluptatẽ. Homo præcipuum rerum omnium illud habuit, solitudinem ab eo fugiendam esse,& è contra hominum societatem uehementer amplectendam. Solus fuit Simon, quem antiqui mõstrum potius appellarunt, atq; ut tale in eorum scriptis figurarunt authores. At ab hac hominum societate,quot quæso,quantæq; oriuntur utilitates? Hinc amicitiæ,quibus nihil iucundius, honoratius nihil, nihilque utilius.Hinc inter notos salutationes, mutata conuiuia sermones,confabulationes,aliæq; quã plures uenustates. Hinc comunicata consilia, ex quibus res nostrę optimum recipiunt finem: Hinc in consilijs capiundis Iurisprudentiæ excellentissimorum sententia. Hinc peritorum omniũ conuentus, atq; concertationes in quibus totum ingenij thesaurum ostendi potest. Libere fatetur Seneca uirtutis amicus, dum talia uerba dicere solitus esset. Dij si rerum omnium cognitionem mi-

hi

hi uellent tribuere eo pacto, ut eam celatam tenerem, recusarem. Et tandem, si natura, ut multis iuuaremus in lucem nos edidit, non ne prospicimus solitarijs hic locis, non solum nos ipsos alieno; sed nostro etiam alios priuari subsidio? An ullam habet utilitatem gladius in uagina reconditus? inter latebras Aræ uestis inclusa? Rus perinde est ut fax, quam nisi in nocturnis tenebris accendas, & latet ipsa, & tu delitessis obscurus; accensa autem tum tetram Noctis calliginem illustrabit, Vrbisq; uiam, tum temet conspicuum reddet, & sese. Vides tandem nullam esse solitariæ, rusticæque uitæ, neq; tuam, neq; alienam utilitatem. Assume animnm tuæ nobilitati, & etiam Vrbi parem. Tecum ipse agites, & perspexeris an ex agris prodierit Alcibiades Themistocles, Mytridates, Annibal? An Rumulo diuinos honores, an Pompeio magni, fabio maximi, C. Cesari Augusti, an Scipionibus, an aliis uarios titulos, & cognomenta tribuerit Rus. Recentioribus etiam abundamus, nec desunt domestica. Sed in consiliis capiundis potius ueteres imitandi uidentur qui cum adeo corrupti, deprauatiq; animi nondum essent, semper utilib. anteferebant honesta. Itaq; si ad gloriam contendere

dere exoptas, Vrbem, me Aut hore complectere. Rus non ſolum diſuaſerim tibi, ſed ne mortalium quidem ulli ſuaſerim: quid enim abſurdius, quam dum honorem ſequeris, turpitudinem omnem ſu bire? Et dum incertam aucuparis gloriam, uiliſſimum fieri, certiſſimumq; mancipium? Cæterum tibi, nec ætas, nec conſilium deeſt. Vtrum ſequendum cenſeas, utrum relinquendum, tuum ſit judi cium. In Ciuitate poteris, & honeſte uiuere, & uitam cum gloria concludere. Ruri non uideo, quin poſſis, uel honeſte in agris uitam ducere, uel glorioſe in umbra finire. quod Vrbis proprium eſt, & finis.

FINIS.

35

36

Mc